



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, M. DC. LXXX.

114. An superiores Regulares aliqua peccata prohibere possint sub poena excommunicationis sibi reservata? Ex p. 3. tr. 2. res. 39.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76429](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76429)

voluerit pro absolutione à casibus referuatis : & Vicario ipsi dicitur communicata per illam delegationem omnis potestas Episcopi ; ergo poterit vti tali facultate, etiam pro sua persona.

RESOL. CXII.

An Vicarius possit concedere facultatem absolventi à referuatis, si Praepositus absit à domo per unum diem naturalem ?

Et quid est dicendum, si subditus ex industria, & sine sufficiente causa in illum diem confessionem distulisset ?

Et quid, quando Superior eodem die est reuersurus ? Ex p. 3. tr. 2. Ref. 28.

§. 1. **R**espondent affirmatiuè Peirinus in *privileg. Minorum tom. 1. constit. 4. Sixti IV. §. 6. num. 16. Homobonus in Exam. Eccles. part. 1. tract. 5. cap. 4. quest. 21. Beia part. 4. cas. 37. & Naldus in summ. ver. Abesse, num. 11. & ver. Absolutio, num. 25. quia non est detinendus subditus in tam malo statu, sed ab eo, quam citius possit, liberandus. Deinde Vicarius relictus à Praeposito, est tunc solus, & absolutus Superior domus ; ergo debet habere illa omnia, quæ pro recta illius administratione sunt necessaria, inter quæ sine dubio potestas spiritalis est.*

2. Sed prima sententia limitanda videtur. Primò, quando Superior eodem die est reuersurus, tunc Vicarius non poterit supradictam licentiam concedere. Secundò, si subditus de industria sine sufficiente causa in illum diem Confessionem distulisset. Tertio, nisi in aliqua Religione aliter dispositum sit.

RESOL. CXIII.

An Superiores Regulares possint auctoritate propria referuare casus in Decreto Clem. VIII. contentos, vel opus sit hoc facere cum consensu Capituli ? Ex p. 8. tr. 7. & Misc. Ref. 69.

§. 1. **H**oc dubium nouissimè pertractauit Bordonus in *consiliis Regularium* res. 37. quest. 30. num. 42. vbi sic ait. Queritur an praescripta forma de referuandis casibus cum matura discussione, & consensu Capituli Generalis pro toto Ordine, vel Capituli Prouincialis in prouincia, data sit non solum pro aliis casibus non recensitis, verum etiam pro illis vndecim enumeratis, ita quod superior propria auctoritate illos vndecim non possit sibi referuare sine Capituli consensu ?

2. Respond. Praescripta forma communis est vtrique generi casuum tam enumeratorum quam extraneorum, & non expressorum : ac proinde propria auctoritate superior illos etiam expressos sibi referuare non pot. st. Probat, tum quia causa finalis in lege expressa, quæ mouit legislatorem ad legem condendam, est illa, quæ restringit, ampliat, & declarat legem ad sui limites, *l. cum pater. §. dulcissimis. ff. de legat. 3. Panormit. in cap. quia in insulis, de Regul. numer. 3. per iura ibi adducta Nauarr. consil. 8. de filiis presbyter. Sanchez lib. 2. disput. 37. num. 3.* Sed causa, quæ Clement. VIII. mouit ad condendū hoc decretum fuit, vt consuleret conscientis Religiosorum poenitentium, qui ex parum prudenti, & immoderata referuatione peccatorum facta à superioribus, formidabant illis detegere maculas conscientiae, ac proinde in periculum aeternae damnationis indecebantur, vt initio Decreti expressè dicitur ; ergo ab hac causa

venit explicandum ipsum Decretum, & ampliandum ad quocumque casum, non solum extraneos, sed etiam expressos, quatenus tradit formam referuandi casus cum matura discussione, & consensu Capituli : nam cum casus ibidem expressi, non sint ipso iure referuati, sed referuandi omnes, vel parum, vt dicitur *quest. 28.* & non tantum pro ut iacent, sed ampliandos, & restringendo, vt dicam *quest. 6.* ideo in illorum referuatione potest superior parum prudenter, & immoderatè se gerere, ac proinde poenitentes inducere in discrimen aeternae damnationis ; igitur ad evitanda huiusmodi fuit intentio Papæ, vt superiores adhererent hanc formam, etiam respectu casuum ibi expressorum. Tum, quia clausula in fine posita refertur ad omnia praecedentia, *cap. secundo requiritur. 4. 1. de appell. & hoc procedit sive ponatur in principio, sive in medio, sive in fine* : ergo hac forma praescripta in fine non solum refertur ad casus non expressos sed etiam ad expressos. Tum quia illa clausula, *si quod aliud*, est implicatiua similium, vt docent omnes in *l. si fugiui, ibi. alia poena. Cod. de seru. fug. iunct. pluff. fin. quæ ait, alia poena, id est, simili. Euerard. in loco, A. dicit. implicat. num. 4. & facit positionem eiusdem qualitatis cum praecedentibus, gloss. *verb. Alios, capite 1. de prebend. in 6. Meg. 2. 2. lib. 2. cap. 7. numero 24. in fine* ergo illa particula, *si quod aliud*, implicat etiam casus ibi expressos referuandos sub eadem forma praescripta, qua veniunt referuandi casus non expressi ; similitum enim debet esse idem iudicium, & iuris dispositio, *cap. inter ceteras 4. de refer. cap. audiam §. 4. de elect. §. sed cum in iure.* Tum quia si superioribus non praescriberetur hac forma seruanda etiam in referuandis casibus expressis, eluderetur intentio, & finis Papæ, ac proinde vanum, & inutile esset decretum, siquidem per illud sufficienter non fuisset prouidum periculum, & discrimini, in quæ possunt deduci Religiosi poenitentes ob improvidentem referuationem, quam interdum facerent in casibus occurrentibus propria auctoritate, si non tenerentur seruare eam : ne igitur inutile sit decretum, dicendum est, mentem Summi Pontificis fuisse, vt in omnibus casibus referuandis superiores adhererent praescriptam formam. Tum, quia per hoc decretum limitatur & restringitur potestas superiorum, vt afferunt infra citandi, quæ limitatio fieri non potest sine praescriptione novae formæ, quæ in duobus consistit, in numero casuum, & modo illos referuandi, Hucusque Bordonus.*

3. Sed meritò contra illum insurgit Raphael Aversa *de Sacram. Poenit. quest. 17. sect. 2.* Dicendum est igitur, singulos Praelatos posse per se abique alio consensu Capituli dictos casus appositos in decreto Clement. VIII. in toto, vel in parte referuare, vt apparet manifestè ex tenore eiusdem decreti, & in praxi ab omnibus superioribus Religionum obseruatur.

RESOL. CXIV.

An Superiores Regulares peccata prohibere possint sub poena excommunicationis sibi referuata ? Ex p. 3. tr. 2. Refol. 49.

§. 1. **A**ffirmatiuè respondent Villalobos in *summ. tom. 1. tract. 9. diff. 58. num. 5. Tamberinus de iure Abbat. tom. 2. disput. 13 quest. 3. num. 1. Corio. lanus de cas. refer. part. 1. sect. 1. art. 6. num. 1. Fagnan. de dec. prac. 2. lib. 8. cap. 4. num. 5. Suarez in 3. par. tom. 4. disp. 29. sect. 3. n. 13. & alij, quia hoc non est referuatum peccatum, sed censuram.*

2. Sed mihi placet contraria sententia, quam tuentur

cur Sigismundus à Bononia in tract. de elect. part. 3. cap. 4. dub. 123. num. 9. Peirin. in privileg. Minim. tom. 2. confit. 10. Urbani VIII. §. 61. numer. 10. Sanchez in summ. tom. 2. lib. 6. cap. 1. num. 15. Melaga in prima part. lib. 1. cap. 12. num. 8. Molfesius in summ. tom. 1. tract. 7. cap. 20. num. 17. & ita determinasse Sacram Cardinalium Congregationem die 7. Julij 1617. restatur. P. Leone tract. de officio, & potest. confess. tom. 2. recollect. tom. 11. num. 5. Ratio est, nam ex Decreto Clement. VIII. omnis reservatio illis interdicta est, & ratione censuræ appositæ illud peccatum reservatum manet; ergo, &c. Vnde apparet talem modum reservandi per excommunicationem esse inuentum, & excogitatum in fraudem legis Pontificiæ, nolentis, & prohibentis alia peccata reservari, quam illa à Summo Pontifice expressa; non est ergo prima sententia admittenda, & Ioannes Faber. de pen. in 4. sent. dist. 17. quest. unica, disput. 27. cap. 1. num. 29. asserit tutius esse Superiores cauere à tali censurarum reservatione.

RESOL. CXV.

An Religiosus tactibus alium polluens incidat in casum reservatum Clem. VIII.
Et utrum lapsus carnis voluntarius opere consummatus sit reservatus, quando non fuerit perfectè consummatus cum seminis emissione, Idem est de copula sodomica.
Et notatur Religiosum patientem copulam sodomiticam cum seminis emissionem incurere in casum reservatum, quamvis ipse non seminet. Ex p. 11. tract. 2. & Misc. 2. Resol. 61.

§. 1. Negatiuè respondeo cum Andrea Mendo in Bulla Cruciatæ disput. 24. cap. 4. num. 27. ubi sic asserit. Exigitur autem à Pontifice ad hanc reservationem, vt lapsus carnis sit opere consummatus, scilicet in sua specie, ver. grat. in specie fornicationis, vt actus venereus cum pollutione fuerit habitus, nempe viri; nam foeminae pollutio non requiritur ad consummationem actus; quare tactus, oscula, verba libidinosa, aliaque obscena signa, cum non sint actus consummatus, sed inchoatus, aut inceptus, ad consummationem tendens, aut disponens, sub hac reservatione non includuntur. Similiter in specie peccati contra naturam pollutio voluntaria huic subiaceret reservationi, non verò distillatio voluntaria, etiam animo libidinoso procurata, quia non est actus consummatus in ea specie. Præterea coitus cum foemina, si absque pollutione contingat, quantumvis hæc procurata fuerit, est extra hanc reservationem ob rationem nuper dictam. Rursus consilium, auxilium, fauor ad actus libidinosos consummatus ab alio consequendos non comprehenduntur in præsentia, quia estis habeant malitiam specificam reductiuè, quam illi actus habent, tamen in præsentia, vt ex verbis Pontificis constat, non manent obnoxie reservationi hæ circumstantiæ scandali, suasionis, & similes, sicut nec periculum incidendi in lapsum carnis consummatum, quantumvis sit voluntarium, & proximum. Hinc etiam si quis turpiter alium tangens, eius pollutionem procuraret, eaque sequeretur, quin tamen se ipsum pollueret, non subiaceret reservationi præsentia; nam in ipso non datur lapsus carnis proprius consummatus in aliqua specie luxuriæ; foemina autem proponitur referuabilis eiusmodi lapsus proprius. Ita Mendo.
2. Sed si aliquis hic querat, vtum lapsus carnis voluntarius opere consummatus sit reservatus, quando non fuerit perfectè consummatus cum seminis emissionem

3. Affirmatiuè respondet Suarez tom. 4. de Relig. lib. 2. cap. 18. num. 12. ubi sic habet: Solùm aduerto, quoties peccatum peruenit ad pollutionem esse in omni rigore opere consummatum; & consequenter sub illa reservatione comprehendi; quia illud peccatum habet propriam speciem, in qua consummatur, iuxta doctrinam Diui Thomæ 2. 2. quest. 154. art. 11. & hoc satis est, vt sit reservatum, quamvis non perueniatur ad consummationem illius actus, quem fortasè peccans intendebat, vel in quem natura sua actus impudici ordinabantur, copulam scilicet carnalem. Hactenus Suarez. Ex quibus verbis sentire videtur, non solum copulam imperfectam de qua nunc agimus, verum etiam & quamlibet pollutionem ex actibus impudicis prouenientem. Vnde si animo libidinoso ad mulierem accederet Religiosus, & illius tangens manum incurreret in pollutionem, existimat eum hunc casum incurere.

4. Hanc etiam sententiam tenet Ioannes de Trinitate in Exposit. Caf. Ordin. Sancti Francisci caf. 3. num. 1. ubi ita asserit; Constat igitur ex dictis, quod in hoc tertio casu reservatur tantum copula carnalis siue copula sit naturalis, siue sodomica, siue bestialis: quælibet enim istarum verè & propriè dicitur, & est copula, & lapsus carnis. Idem absque dubio asserendum est, etiam si in copula non interueniat seminatio. Nam si deficiente seminatione copula non esset hic intelligenda, sequeretur quod copula impotentium ad feminandum non esset in præsentia casu, sed in sequenti tactum impudicorum, & enormium reservata. Ex quo consequenter inferretur, quod prædicti impotentes ad feminandum, quomodocumque rent; nullo modo dicerentur carnaliter copulari, sed impudicè tangere, & tangi. Est igitur affirmandum, quamlibet copulam carnalem; siue in ea interueniat seminatio, siue non, in hoc tertio casu referuari. Hæc ibi.

5. Sed aduersus hanc sententiam insurgit me citato Iuniperus de cas. referu. caf. 9. disput. 11. quest. 2. num. 2. Quia Summus Pontifex largitur superioribus facultatem reservandi lapsum carnis voluntarium opere consummatum, non verò attentatum; atqui quando intra vas non seminatur, sed extra, est peccatum illius speciei, in qua committitur attentatum, sed non consummatum; igitur Religiosus qui ita peccauit, non comprehenditur sub hoc casu. Minor huius syllogismi ostenditur ex communiori Doctorum sententia in peccato sodomia; ubi asserunt quod quando semen intra vas non immittitur, non dicitur sodomia consummata, quia quando lex aliquod prohibet delictum, intelligitur de delicto consummato. Vnde inquit Pater Sanchez lib. 10. de matrim. dist. 4. numer. 13. quod quando semen intra vas naturale, vel præposterum non immittitur, non est concubitus consummatus, sed attentatus: Atqui copula, quam referuabilem superioribus proponit Pontifex debet esse opere consummata in sua specie; Igitur ex quo semen non est intra vas immissum, non erit opere consummata; & ideo non referuata in hoc casu.

6. Vnde quest. 3. ex his idem dicendum esse putat me citato de copula sodomica; notat tamen, & bene, Religiosum patientem incurere etiam hunc casum, nam tale peccatum in vtroque est eiusdem speciei; hoc autem intelligit quando sodomia ex parte agentis est consummata; nam non est cur ex parte patientis sit reservata, non ex parte agentis. Vide etiam Reuerendissimum Patrem Bordonum nunc merito Generalem suæ Religionis in consil. Regul. tom. 1. ref. 4. d. n. 2. 2. ubi etiam docet quod patiens verò sodomiam incidit in casum, licet ipse non seminet; subdit tamen oppositum non esse improbabile.

Sup. contetis in hoc §. in tom. 1. tr. 5. R. 65 §. Quarto secundo, & seq. & in §. Quarto tertio & in aliis §§. illorum annotatio num.

RESOL.